Regnum Livoniæ in aere fundat et fabricat, Germanus frater ipsius Fridericus Rex Daniæ Episcopatum Osiliensem occupat, ne forte expositi ab ipso triginta argenti (hoc est 30.^{mo} tallerorum) plane pereant; Dux magnus in Moschovia omnia incerta videns, incertus et ipse transactionum observator, rebus omnibus ibi turbatis, in Livoniam rediit, seipsum, simulque Curlandiæ Episcopatum, et alias ultra Danenses arces Moscho eripuit; quæ tamen ad Regnum Poloniæ antea pertinuerant, in tutelam Regis et Reipublicæ subiectus et acceptatus est. Post ipsius mortem Poloniæ Rex Stephanus et Daniæ Rex Fridericus de Curlandiæ Episcopatu armis decertarunt, alter subiectionem, alter triginta millia exposita pro suo Jure prætendens. Verum de re parva maior quam pro rei dignitate exoriebatur contentio, et in apertum bellum Regna ista præcipitarentur, utriusque Regis consensu arbiter electus Fridericus ex Domo Brandemburgica Marchio Anspachen. Is ita rem composuit, ut suo proprio ære Daniæ Regi satisfaceret, qui omni penitus prætensioni suæ in Episcopatum renunciavit, illamque Regi Poloniæ cederet. Rex vero Poloniæ Episcopatum non recuperavit, priusquam Marchioni Anspachen pecunias Dano numeratas remuneraret. Impetraverat postea Stephani Regis